

46. *Zygopetalum Wendlandi*: aff. *Zygopetalo aromatico* Rchb. fil.
sepalis lateralibus deflexis, labello basi utrinque juxta unguem retrorse acuto an-
gulato, dein paulo constricto antice cordato toto limbo antico multilobulato, callo
baseos semilunato, lamellis quinis medianis longioribus, reliquis in cornubus pos-
ticis labelli decrescentibus, columna juxta foveam utrinque quadrangulo producta.

Habitus omnium Warszewiczellarum. Folia cuneato oblongoligulata
acuta. Pedunculus medio vagina ampla acuminata; apice spathis duabus membra-
naceis ovarium pedicellatum subaequantibus. Flos illi *Zygopetali* discoloris ae-
qualis. Sepalum dorsale ac tepala arrecta, sepala lateralia deflexa, hinc perigonum
labello inclusu quasi trilabiatum. Flos albus disco labelli antico violaceopurpureo.
Caudicula pentangula glandula supposita. Labelli pars posterior crassior, quam
anterior.

Flores vivos obtinui ex horto Herrenhusano. Olim putavi esse *Zygo-*
petalum aromaticum. Flos exsiccatus tamen aequa ac pictura Warszewicziana peri-
gonio stellato ac labello adeo differunt, ut nova species nunc mihi planta videatur.

In montis Irazu pede (Specimina spontanea non suppetunt).